accipiendam hoc ipso facilius accedit quod illi remittuntur non propria
sed aliena peccata. & id circo frater carissime haec fuit in concilio nr̃a senten
tia. a baptismo adque a gratia dī. qui omnibus misericors & benignus
& pius est neminem per nos debere phiberi quod cum circa universos
observandum sit adque retinendum magis circa infantes ipsos & recens
natos observandum putamus qui hoc ipso de ope nr̃a ac de divina misericor
dia plus merentur quod in primo statim nativitatis suae ortu plorantes
ac flentes nihil aliud faciunt quam deprecantur. OPTE FR. CAR. SEMP. BEN. VAL.

ADFIDUM DE INFANTIBUS BAPTIZANDIS EXPLICAT.

INCIPIT AD EUCRATIUM DE HISTRIONE

Ciprianus Eucratio fratri salutem. p dilectione tua & verecundia mutua con
sulendum me existimasti frater karissime quid mihi videatur de istri
one quodam qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suae dedecore
perseverat & magister & doctor non erudiendorum sed perdendorum
puerorum id quod male didicit ceteris quoque insinuat. an talis debeat cō
municare nobiscum quod puto ego nec maiestati divinae nec aevangelicae
disciplinae congruere ut pudor & honor aecclesiae tam turpi & infami conta
gione foedetur. Nam cum in lege phibeantur viri induere muliebrem
vestem & maledicti eiusmodi iudicentur quanto maioris est criminis non
tantum muliebria indumenta accipere sed & gestu quoque turpes & molles
& muliebres magisterio inpudicae artis exprimere. Nec excuset se quisquam
si a theatro ipse cessaverit cum tamen hoc ceteros doceat. non potest enim vi
deri cessasse qui vicarios substituit & qui pro se uno plures succidaneos sugge
rit contra institutionem dī erudiens & docens quemadmodum mascu
lus frangatur in feminam & sexus arte mutetur & diabolo divinum plas
ma maculanti per corrupti adque enervati corporis delicta placeatur.
Quod si paenuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit potest inter
ceteros qui aecclesiae alimentis sustinentur huius quoque necessitas adiuva
ri si tamen contentus sit frugalioribus sed innocentibus cybis nec putet

91v

Österreichische Nationalbibliothek Digitale Services
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Österreichische Nationalbibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Österreichische Nationalbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/onb_cod962/0190